

# SCRIPTA

---

**Numéro Scripta :** 7255

**Auteur(s) :** Henri II Plantagenêt, Angleterre (roi)

**Bénéficiaire(s) :** Saint-Mars-d'Outillé, Bercé, dépendance Grandmont (prieuré)

**Genre d'acte :** charte

**Authenticité :** non suspect

**Datation :** [1172-1182]

**Lieu d'émission :** Le Mans

**Action juridique :** confirmation

**Langue du texte :** latin

## Analyse

Confirmation des biens appartenant aux frères de Grammont établis à Berçai.

## Tableau de la tradition

### Éditions principales

a. Berger Élie, Delisle Léopold, *Recueil des actes de Henri II, roi d'Angleterre et duc de Normandie concernant les provinces françaises et les affaires de France*, Paris, Imprimerie Nationale (Chartes et diplômes relatifs à l'histoire de France), 1916-1927, 3 vol., n° DLXXV, t. 2, p. 159-161.

## Dissertation critique

« 1172-1173 – 1182 » : sur la datation de cet acte, voir DELISLE/BERGER, *Recueil des actes de Henri II*, t. 2, p. 160. Cet acte, qui porte la formule *Dei gratia*, n'est pas antérieur à 1172-1173. Souscription de Gautier de Coutances, archidiacre d'Oxford, élu évêque de Lincoln le 8 mai 1183. La pièce pourrait, à la rigueur, être des premiers mois de 1183.

Texte établi d'après a

Henricus, Dei gratia rex Anglorum, dux Normannorum et Aquitanorum, comes Andegavorum, archiepiscopis, episcopis, comitibus, baronibus, senescallis, prepositis et omnibus baillivis et fidelibus suis, salutem.

Sciatis me, pro Dei amore et salute anime mee et animarum antecessorum et successorum meorum, dedisse et concessisse in puram et perpetuam elemosinam et presenti carta confirmasse Deo et priori et fratribus Grandimontensis ordinis locum de Burceio, et totum nemus liberum et quietum absolute, sicut fossatis exterioribus clauditur, ut inde faciant quicquid sibi viderint expedire, et per totam forestam aliam et universas forestas meas omnia necessaria ad edificationem et usus supradicte domus et aliarum domorum ejusdem ordinis de tota terra mea. Dedi etiam et concessi duos solidos singulis diebus percipiendos in perpetuum apud Cenomanum in redditibus meis, et duos homines in eadem civitate, videlicet Cenomani, et unum in Castro Lidi, et unum apud Maetum, ad serviendum domui et fratribus de Burceio, liberos et quietos in terra et aqua ab omni servitio et taillia et exercitu et equitatu et omni consuetudine et exactione et rebus aliis que ad me spectant. Sciatis etiam me singulis domibus Grandimontensis ordinis dedisse et concessisse duos homines in singulis civitatibus et unum in castris et villis omnibus juxta que domus sunt posite, predicto modo cum rebus suis et rebus fratrum liberos et quietos in terra et aqua ab omni taillia et exercitu et equitatu, theloneo et passagio, pontagio, pedagio, pasnagio, et ab omni servicio et consuetudine et exactione et rebus aliis que ad me spectant, excepto murto. Dedi etiam et concessi domui

et fratribus de Burceio foagium de Martineio, in crastino Nativitatis Domini annuatim persolvendum, et unum hominem liberum et quietum apud Martignie, qui illud recipiat loco fratrum, et unam summam mellis cum vasis que dicuntur costarez in festo Omnium Sanctorum ab apiariis dicte foreste annis singulis persolvendam. Quare volo et firmiter precipio quod predicti fratres omnes predictas elemosinas in perpetuum habeant bene et in pace, libere et quiete, plenarie et integre et honorifice, sicut eas illis dedi et presenti carta confirmavi. Has omnes elemosinas et possessiones quas habent et habebunt ex dono meo vel ex dono successorum meorum, vel ex dono quorumlibet hominum, libere et quiete, plenarie et pacifice in perpetuum habendas et possidendas concedo et confirmo, et in manu mea et custodia et protectione mea pono, et custodiri et deffendi sicut meas res dominicas firmiter precipio. Testibus : Guillelmo Cenomannensi episcopo, Gauterio de Constanciis cancellario meo, Guillelmo comite de Mandavilla, Mauricio de Croon, Stephano de Marsai senescallo Andegavensi, et Guillelmo de Ostilleyo. Apud Cenomanum.